

PROPOSITIONES MATHEMATICÆ 34
ex Harmonica,
De
SONI MAGNI-
TUDINE,

Propositiæ
HONORI

*Celsissimi & Illustrissimi Principis ac Domini
DOMINI*

CHRISTIANI,

DEI gratiâ

*Ducis in Silesia , Lignitii , Brigæ & Volaviæ
Demonstrandæ & propugnandæ,*

à

Nobili & Erudito D. GODEFRIDO FIBIG,

*Silesio Vratislavensi ,
Philosophiæ & Matheseos auditore.*

Anno 1664. die 4. Septembris, horis pomeridianis,

*In Gymnasio Cæsarei Regiiq; Collegii Vratislavensis
in Burgo Societatis JESU.*

*Præside R. P. THEODORO MORETO , ejusdem Societatis,
AA. LL. Philosophiæ & SS. Theologiæ Doctore, ibidemque
Matheseos Professore ordinario, ac Superiorum
Studiorum Seniore.*

VRATISLAVIÆ ,
Typis BAUMANNIANIS ,
exprimebat JOHANNES CHRISTOPH. JACOB.

Seneca Epistola 88.

Ad Geometriam transeamus & ad Musicam.
Doces me quomodo inter se acutæ & graves voce
consonent; quomodo nervorum disparem reddentium
sonum fiat concordia; Doce potius quomodo animus se-
cum meus consonet. Monstras mibi qui sint modi flebi-
les; monstra potius quomodo inter adversa non emittam
flebilem vocem. Metiri me Geometres docet latifun-
dia; potius doceat quomodo metiar quantum homini sit
satis. Numerare docet me Arithmetica; potius doce-
at nihil ad rem pertinere istas computationes. Quid
mibi prodest scire agellum in partes dividere; si nescio
cum fratre dividere. O egregiam artem! scis rotunda
metiri. si artifex es, metire hominis animum, dic quam
magnus sit, quam pusillus sit. Scis quæ recta sit linea:
quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras.

Celissime & Illustrissime Princeps, Dux ac DD.

 I Musica in luctu Sapienti importuna est narratio, vereor, ne inter sex Principum Silesiae recentia anni unius funera, & terna quidem, Tibi, Magne Princeps, domestica, mea Honori Tuo Musices inscriptio, sit intempestiva.

Tamen, quia Aristoxenus Philosophus post convivia Musicam jussit adhiberi, ut animos calidâ immodici vini intemperie turbatos, attemperata sonorum svavitas sedaret; postquam in gravi Patriæ luctu lacrymis parentatum est satis, non est, cur Musicâ animum gravem non relevemus, atque cum Orpheo, lacrymarum flumina fistamus. Ipse sapientissimus Princeps David post domesticum filii funus surrexit, lotusunctusq; est. & ingressus domum Domini in Cithara sua & Psalterio adoravit. Hoc enim ipsum labiorum & canticorum laudis sacrificium Deum & homines placat. Quare Fidelium Pater Abraham pro Pentapholi intercedens, humili quidem, sed Harmonicâ Oratione usus est; Domine, (inquietab) si 50. justos inveneris in Sodomis, si 45. si 40. si 30. aut 20. aut deniq; 10. nunquid populi universi misereberis? Non casu (ait, Rupertus) numeros Abraham diminuebat, sed docebat misericordiam cantare; sic namq; numeros adhibuit, ut nullam earum proportionum, quæ musicos reddunt sonos, omitteret, & imminuendo suaviter orationem intenderet & elevaret. Est enim Musica numeris suis digesta Oratio, quam flexanimam jure appellari, quæ in Amphione saxa traxit, & in Arione monstra marina permulsi; est illa Regina affectuum, quia potens est inclinantem erigere, & stantem inclinare, ac oppressam mœrore mentem serenæ restituere libertati; imò tanquam bonus & fortis Imperator adversantem & repugnantem capere, ferreaq; pectora, magneticâ dulcedine, vincere, dum svavi & Herculeâ violentiâ, aurearum instar catenarum, per aures in cor transfunditur. Admitte ergo, O Princeps atavis edite Regibus

Regibus & Magna Avia Hedvvigis sanguis spes unica posteritatis natorum Silesiae Principum, admitte inter luctus ad penetralia Celsissimæ Tuæ Domus Cogitationes has Philosophicas de Harmonia, non quia Celsitudinis Tuæ Magnanimitas, post funera, opus habet sublevante Philosophiâ, sed, tum quia par nobile Principum Fratrum, Ludovicus & Georgius, (ô acerbam memoriam!) Te & principatum suorum unicum dederunt Heredem, & sui in honestissimos Disciplinas propensi affectus & patrocinii successorem; tum quia Silesiae Universæ oculi in Te conversi sunt, ut à Tuæ Domus hilari ad omnes facie erigantur, tanquam ab aspectu Cæli serenati; Principum enim est ipsa Serenitas; Harmonia autem, teste Plutarcho, res Cælestis est, ejusq; natura pulchra, ac prorsus divina, quæ sicut semper in Principum ædibus habitavit, se ipsâ digna est Tuis etiam manibus recipi & foveri, ad Domus Tuæ Principalis & universæ Silesiae, inter bellicos fragores, hilaritatem, hoc ovet.

Celsitudinis Tuæ

Clientum infimus

GODEFRIDUS FIBIG.

Soni

Propositiones Mathematicæ ex Harmonica DE SONI MAGNITUDINE.

I.

Oni quidem consideratio ad Mathesim spectat, quatenus inter quanta numeratur, nam & Magnum Paruumq; Gravem & Acutum, id est ponderorum, & Levem, Tardum deniq; & Velocem appellamus. Voces (inquit Cicero de orat.) ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemq; tactum respondent, acuta, gravis, cito, tarda, magna, parva, verum, si sonus sit quantus, quali sonum mensuram metiemur? sanè intractabilis, & fluxares est sonus, & si illa Virgiliana Aeneæ Comprensa manus effugit imago, muliò magis sonus elabitur. Stabilior sono est lux, & lucis radiatio lausen, omniumq; colorum exuviae species, oculum inficientes, & ideo oculis, facilius est de magnitudine visorum judicare, quam auribus de soni mole.

II.

Quia tamen aurium judicium præ ceteris sensibus superbissimum appellat idem Cicero (quamvis id potius eo modo dixisse illum putem de auribus in sua arte oratorem, quo pictor in sua superbissimum diceret judicium oculorum) existimo non deesse suam sono mensuram. Etenim quâ consideratione sonus Tardus est aut Velox, cum Motuum consideratione participat; Tempus autem est Numerus motuum; hinc factum reor, ut à Musicis sonus Harmonicus appellaretur Numerus Sonorus, vel potius Numerus Sonorum; ut enim statis temporibus sonos Graves, & Acutos absolvant, ipsos cantando numerant, ad mensuram motus ejusdam equalis, quem Tactum appellant.

III.

Verum ab hac mensuratione Harmonica modò me abstineo, & de ea ago, quæ sonum magnum, aut paruum mensurat, & juxta quam alter alterius dicitur

A

sur

tur duplus, aut triplus. Vox ergo viri loquentis conferri potest, aut cum voce
loquentis pueri, aut cum voce sui ipsum stentore clamantis. Item sonus Cam-
panæ Erfurtane, cum tinnitus symbalij, & erotali infantilis; aut ejusdem Cam-
panæ à 30 viris agitata vastus boatus, cum tenui murmure ex talitri, vel malle-
oli percussione suborto. Quadere ut distinctè disseram, primam illam viri, &
pueri, campanæ & erotali sonantis comparationem, magnitudinem soni appello,
& extensionem; alteram vero fortis & lenis percussionis intensionem, quamvis
illa ipsa intensio etiam magnitudo quedam sit, & quasi ejusdem iterata multi-
plicatio, quemadmodum & de caloris, & luminis intensione, multi sapienter phi-
losophantur.

IV.

Ante omnia ut de soni alicujus magnitudine fiat judicium accuratum,
attendendum ut unus solus sonus audiatur, & nè tam pulsans, quæm pulsatum
edat sonum, sed hoc tantum. Selet quippe id ipsum ceteris etiam sensuum cogni-
tionibus evenire, ut si duo objecta simul sensum afficiant, neutrum recte perci-
piatur; si enim oculus aut inter oculum ac visile medius aer rubeat, vel cœrule-
seat, male de colore objecti arbitrabitur. Nec palatum bilis amarore infectum
esse decet, ut sapiant ciborum condimenta: organa sensuum oportet esse pura ab
omni ea qualitate quam vult cognoscere. Hinc illa oculorum crystallina clari-
tas & perspicuitas sive privatio omnis coloris; privatio, inquam, ut ad colorum
formam quidam velut sit oculorum appetitus, quemadmodum & à fine opii-
mè cibi sapiunt, omni sublatâ saporum satierate, juxta illud:

Semper desipient epulæ, nisi temperet escas

Sana fames; sapida est, si sit iam, omnis aqua.

Sic pulsata cythara digito, aut leni pennâ, quia digitus, & penna sonum sensibili-
lem non reddunt, purus fidum sonus percipitur; at si campanæ duæ in invicem
impingant, & sibi mutuo siant malleus, impurus erit singulorum sonus, quia ex
utroq; mixtus; quod ipsum fistulis sonoris evenire dicam Propos. 7.

V.

In primis dico magnitudinem soni (ut à facilioribus exordiar,) ab uni-
formis corporis extensi longitudine desumendam esse, quo modo etiam mensura
gravitatis à gravium uniformium mole dependet, eamq; consequitur. Chorda-
rum

rum itaq; duarum ejusdem crastitici sive baseos ejusdem cylindrica. ex eademq;
materia & equabilium & quæ tensarum, quarum altera alterius sit dupla, & tunc
pulsus, aequali accidenie, dupla duplus erit sonus; si verò pulsus sit impetu in-
equalis, manente eodem percuso, variatio soni pertinebit, ut dicebam, ad con-
siderationem intensionis soni. Perinde autem est, an ad duplum sonum chordam
duplicari, an tympanum, an fistulam, modo uniformis sit fistulae canitas, sive ea
cylindrica fuerit sive qualisunque Prismatica. Observandum tamen quid iam
est in fistulis, de quo infrapropositione septimâ. De Conicis aliusq; pyramidalibus,
aut Calathi in morem repandis Musicae organis, nunc quidem nil determinarim.

VI.

At huic de duplo soni à duplo corpore determinatione, occurrens gemi-
na consideratio. & experientia difficilem movet perplexitatem. Primum enim,
uniformem prismaticam organorum fistulam cuiuscunq; longitudinis inflet
ventus, si fuerit superiori vertice aperta, sonus erumpens dimidius erit ejus,
quem reddet clausa, manente eadem fistulae longitudine, quam soni utriusq; inter-
se comparationem Phonasci nostri appellant Octavam, à numero horum extre-
morum, & ceterorum sex interiectorum tonorum Octochordi. Verum hæc
ipsa clausæ & aperte fistula per Octavam sonorum diversitas ipsa præclarè illu-
strat jam positam determinationem: clausura etenim illa, quasi duplo longior-
rem fistulam constituit, dum insufflatus aër per fistulae longitudinem proce-
dens, & ad fundum appellens, eadem, quæ venerat viâ jubetur reverti, &
cum sonum dare, quasi per fistulae altero tanto longioris angustias processisset, si-
cuit verè duplae longitudinis viam emetiebatur.

VII.

Alterum non minus ardum est, quod campanarum magnæ moles te-
stantur. Ut enim campana campanæ Octavam sonet, & dupla æris campani
profunditas, & latitudo dupla adhibetur; ut fiat moles molis octupla: quod
ipsum evenit fistulis in latum & longum duplicatis; sed quam novum fuit cui-
piam Organorum Dœdalo id experiri, (cui longe alia Octavarum prescripta e-
rant familiaria) tam mihi arduum revocatu ad regulam præfinitam de dupli-
catione, revocavi tamen, nifallor, hoc modo. Sola est longitudo sonori, quæ sonum
auget ex acuto in gravem; duplicata autem latitudo sonori, quatuor veluti

ejusdem longitudinis sonora corpora constituit, sive quatuor fistulas. Has ergo inter se separatas si simul in fluxum universas, eundem sonum à quatuor im petro, quem ab uno, qui istis quatuor aperturā & cavitate unicā, est aequalis patet.igitur quod ista latitudo quadruplicata sonum in quadruplum intendat, manente eadem soni qualitate; sed attende, ut in fistula separe sonum corporis aërei percutientis à sono fistulae percussæ, & sonantis, & ut uniusq; soni concursum non reputes pro solo fistula sono. ideo fistula duplo longior, ut præcisè Octavam sonet aliquantulum, ultra duplum prolonganda est, aut certè: foramen Labij in fistula, in quod aér insufflatus, quasi in plectrum aut Epiglottidem incurrit, moderatione aliquà temperandum; aér enim insufflatus ad Labium istud dividitur, & strepit, antequam in canalem ingrediatur ipsumq; percutiat.


VIII.

Constitutâ soni mensurâ, & ejusdem mensure, quo ad Primam & Octavam, in Octochordo ratione, ceteros sex intermedios sonos determinemus. Qualiūmitaq; Bassi, sive baseos sonore longitudine fuerit 12. parium, talium minima, & Discantus est 6. Quarta vero intermedia Basso proxima talium est 9. & Quinta talium 8. ut illa Tenorem, hæc Altum exhibeat, & utriusq; Distancias sive excessum in magnitudine, in ratione 9. ad 8. sive sesqui-octava, qua integrī musici toni justa, & consueta magnitudo est. Itaq; constitutis his quatuor præcipuis sonis, eorumq; mole ex divina Pythagoræ observatione, sequuntur quatuor reliqui intermedij. Secundus enim & tertius, item Sextus & Septimus, ex eadem sesqui octava proportione constituuntur, eadēm, inquam, qua invenitur inter Quartam & Quintam. Divisa ergo prima Bassi longitudine in partes novem (prout in adjuncta figura videre est) harum octo dantur Secundæ. Et rursus Secundâ divisâ in novem, octo constituunt Tertiā, similiter octo partes Quintæ ex novem dant Sextam, & ex Sexta similes octo nonæ, Septimæ. in qua scalari partitione, quia Tertia non excedit Quartam, nec Septima Octavam, eadēm Sesqui-octavâ, (toni integrî) ratione, quâ ceteræ ceteras, orta est varietas simul, & difficultas Semitoniorum, ad magnum Musicae ornatum.

IX.

Et quamvis utraq; hæc intra Tertiā & Quartam, item inter Septimam & Octavam semitonia prorsus sint aequalia; nimis in ratione 243. ad 206. sive pro-

Basfus **Tenor** **Altus** **Discantus**



Dia-tesfaron.


Dia-tesfaron.

Dia-pente.

Dia-pente.

Dia-pafon.

Octochordum.



Basfus
ut

re

mi

fa

Tenor
sol

Altus
re

mi

Discantus
fa

propemodum 18. ad 17. quia tamen hac ipsa aequalis in aequalitate ceteris integrorum tonorum ascensionibus est dissimilis, placuit Choragis etiam inter integros tonos sua semitonias ab his diversa inter miscere ad ornatum & varietatem; ut hæc duo necessitatis semitonias artificio eliderentur. Solemnis porro antiquis est questio, possitne tonus Musicus bisecari? eo nimirum sine, ut vera semitonias habeamus.

X.

Negat Boëthius; quia Arithmeticus non posset inter 9. & 8. id est, inter numeros tonum exhibentes, numerum medium proportionalem, proportionalitate Geometricâ, aut Harmonicâ exprimere. Cum autem Musica (ex Veterum decretis) sit numerus sonorus, ubi non est, inquit, numerus, ibi nec Musicam invenire erit. sic ille. Sed inquam, quid opus est, ut omnem proportionem Musicam numeris alligemus? postquam quantitatem continuam soni magnitudo consequitur; nihil autem facilius, quam medianam proportionalem inter duos quovis terminos quertos Geometricè invenire; igitur nihil facilius Geometre, quam non Tonum dumtaxat integrum, sed & quamvis tonorum distantiam Diateßaron, Diapente, & Diapason, & eos, qui ex his componuntur, cum opus fuerit bisecare, imo & trisecare, & quodrisecare, postquam magnus evi hujus Geometra Gregorius à S. Vincentio multiplicia Mezolabij sui Problemata evulgarit.

XI.

Quantitatem soni ex numero trepidationum soni posse mensurari aliqua innuunt, sed ipsa primum trepidatio explicanda est. Ajunt Philosophi sonum esse qualitatem ex collisione partium liquidi natam aut ipsum positus liquidum motum, à quo tandem moveri poterit vitalis aëris & nervus auditiva facultatis. neg, interest sit ne liquidum motus vehiculum aérium, an aqueum, postquam experientia didicimus, non tantum Delphinos in Mediterraneo ad cantum & nomen suum Simon advolare, sed & in vivarijs nostris Carpiones, & Forellas tintinnabulo convocari ad cœnationem. Promovet autem sonum motus tremore quodam liquidi, eum fere in modum propagato, quo lapilli in aquam conjecti circulos mobiles undiq; sibi circumfundunt, & propagant, & ab occurrente obice, ad imitationem Echonis, reflectunt.

XII.

ANTHEMIO
DOMINI
A
iat
CONTRARIO
1000T
100
st
100
st
100
st

XII.

Tremorem hunc cum sono diffusum multa produnt experimenta. Nam visus ipse animadvertisit percussam cytharae chordam identidem ire ac redire, id quod tam diu, donec soni ronchus conticescat, ut credam ab hoc celerrimo itu, de reddituque chordae percussum aerem sonare trepidando ad chordae trepidationem. quamobrem ab hoc trepidante aere, & aliæ cythararum, quas non tetigeris, chordæ velut percussæ, trepidant & sonant. illæ præsertim, quæ unisonæ sunt, aut Octavæ cum pulsata chorda. Tremorem manu sentis, dum fistulam in organo sonantem manus tangis. Quin ad majorum fistularum tremorem etiam in maximis basilicis omnia subsellia lignea, & fenestra manus contacta sentiuntur subsilire, & ipsa quietissima, in repandis vasis, aqua crispari, ut saltum etiam hominum ad Musicum concentum ex natura rei credas excitari. Nam ad sonum repandi vitri poculi semi-plenivino; guttula supra labra vitri esiliunt, si digitim adidi affrictu circumeunte per extrema vitri labra ronchum sonorum excitaris.

XIII.

Quod si de tremore vocis humanae dubites, jube loquentem dorso ad tabulam ligneam tenuiorem incumbere, & senties manu trepidantem afferem. Ipsa enim loquentis arteria aspera, ut vocem det, trepidat, & ideo cartilagine aspera est, non carnosa, ut æsophagus, ut sit apta huic trepidationi; quod si arteria catarrhorum muco obducatur, & velut glabrescat, eis via pateat respirationi, interittamen loquela, aut certe vix auditur in humilitate vocis molentis, ut ait sapiens. quin ipsum cerebrum ad omnes loquentis syllabas, tam varie agitatur, & subsilit intuentibus illud, amoto cranio, ut credam mutos non ex solo motu labiorum loquentis, sed & ex observatione simili cerebri concutientis secundu attenteq; adhibita, posse plurima intelligere, solent enim uno sensu deficienes, in altero excellere; quia omnem in eum attentionem animi & observationum prudentiam convertunt.

XIV.

Tonitrua ipsa, quæ non fiunt, nisi rarefacta corpora subito loco expellantur, & explosio ignearum balistarum, suam aeris trepidationem produnt, dum fenestræ similem, continuato aeris motu, commotionem trepidantem incurvant. Et tubæ ideo ex tenuibus laminis fiunt ad extrema labra, ut facilius subsili-

siliant. Marina verotuba (nuperum inventum) et si fistula inflatione non sonet, sonat tamen (instar tubæ) trepidatione, non tam virtute tensi nervi, quam substrati ponticuli artificiosa agitatione, qui cavo, tenuisq; concamerationis ligneæ fornici incumbit. Quâ de causâ cythararum omnium corpora & quæcumq; fidibus tensis sonant, quò clarius resonent, cavitatibus concameratis constant, ut impactus aëris sepius eat, redeatq; reflexus, in quo uno sita est vis Resonantiarum. Ubi autem Resonantia remotior fuerit, ut inter primum sonum & ejus redditum tempus intercedat, Echo sentitur, id est, perfecta soni dati imago, aut potius imitago.

XV.

Epiglottis quoq; ad vocis humanae, ac animalium claritatem hoc confert, quod trepidationem adaugeat arteriae asperæ incumbendo, quâ quicarent, verbæ non efformant sat articulatè, sed hiando quasi vomunt, ab illa enim carnea uva, quæ arteriae asperæ incumbit, pendet Musica illa gargarizatio, & soni ex pulmonibus egredientis moderatio. Hoc naturæ artificium imitantur Organicas ventilibus, insertis ad ipsam Ventorum egredientium cameram. similis trepidante lingvula ærea, singulæ fistulae Regalium (sic appellant) instruuntur. Ipsa etiam ranarum obstrepensum, & canum latrantium ora tali sive linguae, sive carunculae voci obvia trepidatione R suum iterant, interrupta voce, non singultienti quidem, quam mella potata leniant, sed quam ira potius ariditas, & veteres querelæ exasperârunt.

XVI.

Tympana similiter energiam suam accipiunt à tremore inducti corij & repercutientis nervi & circumducti aëreæ cavitati sive tenuis ligni Cylindrici, sive cupreæ semi-sphærae. Quò verò in cymbalis æreis durior fuerit materia, eò trepidationi celerior, argutiorq; quemadmodum & tensiores chordæ argutiùs, altiusq; sonant, quam remissæ; quia celerius trepidant. ut jam hinc videar manuduci, ad soni numericam mensurationem ex multitudine trepidationum, eodem tempore factarum. Sed in verso mensuræ ordine & ratione; nam initio quidem dicebam cum magnitudine molis sonantis, crescere sonum gravitate; jam verò affero cum multitudine trepidationum decrescere gravitatem, augeri acumen. Atq; hinc petendæ causæ sunt, quare omnes fistulae & tubæ fortiore & conten-

contentioré spiritu inflata altius sonent, quia celerior aëris impulsio, celerior
imperat trepidationem; quemadmodum & fides vehementius contenta & ad-
ducta, in hoc contenta voci assimilantur.

XVII.

An verò fune-pendulorum agitationes reciprocas eodem numero im-
tentur chordæ musicæ, nec ne, difficile est determinatu. Fune-pendulorum
enim vibrationes facile numerare est, non item crispationes tensarum fidium.
ha siquidem oculum effugint suā nimiā celeritate, & (quod intricatiorem
facit considerationem) manente eādem fidium tensarum longitudine, mutantur
ad majorem tensionem, & accelerantur. Fune pendula quorum filum duplo
est longius alterius filo & què gravis penduli, non duplo tardius movetur, sed
dum illud longius vibratur centies, hoc centies, & quadragesies agitatur, ut
autem ducenties reciprocet oscillationem, sola quinta pars longioris illius pendu-
li postulatur, meo quidem experimento. alii putant sufficere partem quartam.
forsan hi intra longitudinem penduli assūpserunt globi pendentis diametrum,
quam ego excluderam; hāc autem inclusa etiam mihi quartapars longitudinis
reddit duplicarum numerum oscillationum, ut verosimile sit generatim: Fune-
pendulorum longitudines, una cum ipso pendulo, esse in duplicitate uame-
ri vibrationum.

XVIII.

Quod si uniformis gravitatis fuerit corpus, quod oscillat, cylindrus aut
liniare, & alterum altero duplo longius, centies oscillat, dum alterum circiter
centies & quinquagesies. Ad hanc porrò uniformium corporum oscillationem
propinquius accedunt oscillationes trepidantium fidium musicarum, & ejus-
modi fistularum, quarum in vulgatis organis est usus, nam etiam hāc unifor-
miter extenduntur non in calicem, ut tubæ aut Litui. Quā numeri mensurā
posita ejusdem toni instrumenta dicenda essent, quæ simul & què celeriter trepi-
dant; simulen in feriunt aërem & auditum, illa vero harmonice concordia, id
est auditu grata, quorum motus quām frequentissimè simul feruntur, & sonum
simul vehunt ad aures, ut velut unus utriusq; sonus videatur. que verò disso-
nant, quia sibi vibrationibus occurrentibus sonos fundunt, ingratum quidobe-
strepunt, & discordare sentiuntur.

B


XIX.

XIX.

Si chorda tensa A B eleveretur ad sonoram vibrationem plectro in C & ejusdem chordae partes A D, DB firmo dividantur retinaculo interposito in D. singulæque partes A D, & DB plectro protrahantur in E & F. poterunt et elevationes in E & F simul sumptæ esse æquales integræ elevationi totius chordæ in C. sed motus tamen, quem facit chorda A C B, se reducens ad statum A B. & ipsa aëris scissio sonora, se habet, ad scissionem sonoram alterutrius partis, A E D, & D F B, ut quadratum A B est ad quadratum A D id est, in ratione quadrupla. Triangulum enim A C B, quod scindit chorda integræ, est duplum triangulorum A E D, & A F B, sicut & quadratum A B quadratorum A D & D B. Ex hac tamen aëris quadruplica scissione, non inferas quadrupli soni rationem, sicut nec fune-pendulorum aequalium tempora mutantur, et si aliquæ vibrations quadruplae, aut ceniuplae sint minorum vibrationum ad quietem properantur.

XX.

Concordia Soni & Gravitatis liquidorum magna; nam & liquida vim suam & magnitudinem gravitationis, non à latitudine molis accipiunt, sed ab alitudine, & hâc multiplicatâ eâdem prorsus proportione crescit, & multiplicatur. Instrumenta quoque Musica quedam, quæ inflantur, humecta resonant sonomagis perspicuo & claro, quemadmodum & chartæ, & pelles Pergamentæ, & scabra attritu vitra, & cornu, & alia nonnulla, si humectentur, perlucida reduntur. Et ipsa arteria aspera raucum sonat, nisi sit madida, & Pulmones excessi, ac suiculosi periculosè ad pleuram ad hærescunt. Unde & cantores humido delectantur, & Horatius, Bachum in remotis carmina rupibus vidit canentem. Inter Poëtas, quia canendo loquuntur, Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma Prostiliit. Nam & ipsi vini spiritus è cratere esiliunt, & cum canentium, & fistulantium (ut vulgo loquuntur) tremulantii naturâ suâ subsiliunt. Ar & Fidicines & Cibarædi ideo vina ament,



ament, problema esto, alioquin fidibus & chordis humidis minus feliciter luditur.

XXI.

Rotunda corpora cava sive hemisphærica, sive liliata, parabolica & hyperbolica optimè resonant, quia trepidatio à percusionis loco propagata ex utroq; latere circuit, & in se ipsum revertitur, ut iterū iterumq; circumeat, si friabilior sit materia, quam ut gravesictus sustineat, maximum ruptar & periculum est in globo percusso ad oppositam è Diametro partem, quia ibi concurrunt motus à loco percusionis in gyrum undiq; trepidando propagati. Quare & Cranium vivi hominis graviter percussum, maximè si in loco percusionis nullum appareat vulnus, lesionis acrimoniam in opposito percusionis loco experietur, sociatas non raro cum ipsa cranij ad oppositas partes confractione, quia autem campanæ vel tenui rimâ discontinuatae, circuitionem illam trepidationis interrumpunt, etiam sono destituuntur, donec ferrumivatione, aut iterata fusione partes denuo coalescant.

Pertinentia.

1. **R**onchus soni est continuatio soni post percusionem perseverans, ex percusi continuata commotione. Est q; æri campano & tensis fidibus propria, ac plerisq; solidis corporibus. Gratosus autem ille & harmonicus sibilus auræ tenuis etiam Cœlorum motus comitatur.

2. Resonantia soni est soni (quamvis sonans quiescat) repercussio. Unde in cubiculis laneo, aut sericeo panno vestitis, & in templis, ubi frequentia populi, vox dicentis, non ab halitu præsentium, sed à pannis vestimentorum, velut suffocatur, quia resonantia, ab impedita reflexione prohibetur.

3. Hinc Prisci comædi & tragædi à tergo declamantium plurima & magna vasa cava disponebant, ad vocis versus auditorem reflexionem. Et possent eodem artificio etiam campanilium nostrorum supra tabulata ære cavo vestiri, ut per urbem vehementius resonent compulsiones.

4. Oblectatio ex cantu apud varios tam varia est, quam oblectatio palati ex sapore, & apud singulas Nationes propè diversa. Alia etiam rusticis, alia civibus & Nobilitati arridet. Quin & ipsa animalia, boves & oves in pascuis

pastorum suorum, non tantum in sulcis clamoribus potius, quam carminibus, sed
et tenui Coridonis avena delectantur. Generatim dico: plus oblectant can-
tus, quos auditor novit, quam quos ignorat. Physicè oblectatio venit ex suavi
commotione sanguinis et spirituum aliorumque humorum facta ad motum mu-
sice.

5. Auditu in hoc visu prestantior est quod ille etiam in tenebris mul-
ta cognoscatur a se remota; et ipsa quidem animi alieni sensa; et quod de distan-
tia absentium dijudicet non minus, quam oculus, quod ceteri sensus non
possunt.

6. Vitrae et fenestrae difficillime transmittunt sonos, visum facilissime; non
quod poris egeat vocis transitus, sed partium trepidatione, qua vitrum undig-
firmatum destituitur.

7. Sed illud portentum vitri est, quod percussum et sonans non frangi-
tur, et impactum in marmoreum pavimentum, resilit instar pile eburnea.
Quod si pressione forcipum, aut plurima percussione frangi coegeris, dissiliat in
minimas atomos. facit hoc obstinatio uniformis duritiae per totum vitrum diffu-
sa, et acquisitæ per frigus aquæ, cui, cum canderet vitrum, immergetur quo
modo et chalibes indurantur. Sed ad duritatem vitri accedit omnium partium
equalis trepidatio, quæ imperat, ut omnes a se mutuo avertantur, quando vel una
divellitur.

8. Vitra repanda instar campanarum sonant, et trepidant pulsata.
Diversum ab hoc sono ronchum edent, si madido digito fricentur suprema labra,
et adeo tremunt, ut etiam nummi et nulli fundo vitri superpositi, subsiliant;
et si forte et aqua vitro infusa sit, ipsa minimis guttulis esiliat.

9. Filo ferreo aut aere continuâ extensione, ab ima edificij cavea usq;
ad supremam turrim immurato, si utraque filii extremitas, per modum clavi insi-
xi in muro emineat, et unam sic eminentem extremitatem minimo malleolo per-
cutias, intelligibilem transmitte sonum ad alteram usq; filii extremitatem.
Quo immurato filii adminiculo occultissima haberi potest absentium, et quasi
incarceratorum in iisdem ædibus consiliorum communicatio.

10. Imò milites jactant posse se, et si toto campo distent, cum proditore
apud inimicum signis colloqui, per sonum: Uterque enim stipitem profundè in
terrā infigit, oblique tamen versus socium, et altero pulsante stipitem suum,
ajunt

ajunt ab altero percusione sentiri, modo inter utrumq; stipitem nulla foſa intercedat.

11. Sed jam queritur an totum intermedium ſpatium impetus percutientis commoveat? trabes maxima, & longissime malleo percussæ, itē non gravi, globum ad alteram trabis extrema collacatum, quaſi immediate tangetur, promovent, ipsā manente, ni fallor, immotā aut leniter, in ſe ipſa, trepidante. Si caput ad trabem applicueris, intactus gravemictum ſustinebis, non moveri loco trabem perſuadent centum globi longo ordine dispositi in mutuo contactu, quorum primum ſi malleo percutias, ultimus propelletur, reliquis ſuo loco ſubſtantibus.

12. Quæ eminus auditur vox ejusdem toni est, cuius eadem propinquius audita; ſicut oscillationes, ejusdem fune penduli, prime ejusdem ſunt temperio, quo ultimæ ad quietem accedentes; et ſi hæ, respectu ſpatii minimorum arcuum, quos illo tempore deſcribunt, tardiores.

13. Longa pertica hinc ad cameram citharae ex porrecta, inde verò clavis quamvis auribus, apprehendit dentibus, diſtinſiū ſonos citharae exhibet cerebro, quam aperta auris; hinc & aperio ore hiantes facilius audiunt; & ad quosdam ingratis ſtrepitū dentes velut ſerrantur. Oſa etenim & concameratio palati cerebro trepidationem ſoni communioant.

14. Ipsi quoq; ſurdi ſentient ex capite per filum ſuſpensas laminarum aerarum percusiones, quaſi campanarum; campanula tamen, ſimiliter ſuſpensa, & pulsata, minime.

15. Lineare tenuę lignum ex funiculo ſuſpensum, & celeriter gyratum ronchum reddit ſimile in cavo trocho. Et virga equeſtris celeriter vibrata ſibilum edis, non virga proprium, ſed aëri. Mon dubium quin & intra aquam audiantur aquarum motarum, & impingenium ſonori venti.

16. Non minor diversitas vocum humanarum, quam facierum, ut ex iis non minus, quam ex his diſtinguere ſit notas characteristicas individuorū.

17. Arteria aſpera animalium, vitulorum, vulpium, canum, cervorum gallinarum, anserum, anatum, ranarum, &c. ſi qua parte pulmoni inseritur, preſecetur, & inflatur, vocem aliquam reddit. illi animali propriam, ob laryngis, & incumbentis epiglottidis propriam diſpositionem, quam & organifcē

imitantur, uti & gargarizationem gutturalem philomelarum. Ut autem imitantur sermonem humanum, Hoc opus, hic labor.

18. Si in longum vasculum columnare aqua uniformi fluxu descendat, perfectam omnium musicarum ascensionum scalam audire est, cum infinitis intermedis semitonis. similiter & longibaculi, & tensa chordae, dum in aquam sensim immerguntur, percussa tonos gradatim mutant.

19. Sentit Mersennus vibrationes trepidantium chordarum Prime, Quartæ, Quintæ & Octavae &c. esse ut numeros longitudinum inversè positum, nimirum: ut 6, 8, 9. & 12. sed nescio quâ ratione inductus. Certum est 100. globos longo ordine ex eodem fune pendulos, singulos diversis temporibus vibrationes suas conari. Quid autem interest an chorda tensa, an globi concatenati vibrentur, si spectes partes vibrationibus obnoxias?

20. Conchæ majores marinae, & cochleariae, si ad aures cavo applicentur, tumultum sanguinis & spirituum intracranium & arterias se commoveniunt, quasi maris sonoram intemperiem, colligunt, & ad auditus tympanum repercutiunt.

21. Ars invenit crystallos convexas, quibus muscarum reticulatos oculos & grani papaveris hexangulares trigesinta pluresq; areas detegimus; restat Acroaticum auditus organum, quo formicarum, & pulicium tusses sternationes, & graminis crescentis strepitum sentiamus.

22. Fieri non potest, ut litteræ sat multæ inveniantur, quarum combinatione omnes animalium soni per Onomatopœjam sufficienter exprimi possint, et si non tantum Diphongos multiplicaris cum Grecis, gutturales cum Hebreis, & Hibernis, sed millenas aliquot centurias constitueris cum Chinensibus.

23. Proportio Harmonica inter numeros 12. 9. 8. & 6. continetur, & inter paucissimos terminos 6. 4. 3. non quæsi nulla harmonia sit, nisi ubi hi numeri, aut simili modo proportionati, inveniantur; sed quia inter hos numeros sint nominales harmonicæ rationes: nam 12. ad 6. & 6. ad 3. est ratio diapason; sive octava. & ratio 12. ad 9. & 4. ad 3. diatessaron sive quartæ. Deniq; ratio 12. ad 8. & 4. ad 3. diapente, id est quinta. Semitoniorum duorum, quæ in scala intra Octavam reperiuntur prorsus una eademq; est ratio 256. ad 243. sive proximè ut 9. ad 8 $\frac{1}{2}$. & aliquam insuper fractionem.

24. Com-

24. Compositionem cantus harmonici multi promittunt per tabulas ingeniosè dispositas, & per artem combinatoriam. Credo etiam doctrinam poëticam carminis Heroici sic posse tradi, ut habeatur poëma vito destitutum, quale illud: O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti; sed sicut aberit poëma à majestate Virgiliana, inventione Homericâ, suavitate Ovidianâ, ita Lyra Panis à cythara Apollinis, nisi componentis prudens judicium, exercitatio & ipsa natura & propensio cooperetur; Poeta enim & Musici gratiam suavitatis non tam acquirunt, quam excolunt adnatam.

25. Ajunt esse indicium Electionis ad aeterna gaudia, Musico concentu delectari; nec male: ipsa enim oblectatio honestissima est, & velut spiritualis. & indicium est animi ordinati, Musicus autem concentus ordinem imperturbatum, & quasi Hierarchiam cœlestem emulatur; at in Inferno nullus ordo, sed, sempiternus horror inhabitat.

26. Musica instrumentalis, quæ voce humana non sonat, præstantior est vocali; quia ionis mel dati tenacior; non omnis tamen: fides enim etiam cum aura mutantur longitudine.

27. Gracchus Orator ad occultati iibicinis fistula eburnea in ionantus sonum vocem elevabat, quod inexperi oratoris est, teste Cicerone; non minus quam inexperti Musici, nescire temperamentum vocis sue, nisi ad sonum organi qui continui Bassi.

28. Ad affectuum excitationem pertinet non sola compositionis Musica industria, sed & instrumenti ac vocis electio, ut appositus ad affectum veniat sonus, gravis aut acutus; clarus aut obscurus; Stridulus, streperus, asper, aut lenis, perspicuus, mollis; fuscus, pinguis, & crassus, aut limpidus, perspicuus, gracilis; rigidus, clamans, tumultuosus, aut blandus, modestus, tremulus; subtiliens, caprilians aut plenus & equabilis; raucus & asper, aut suavis & argenteus: Solemus enim aeris cantu accendere Martem, non citharam, nisi cum sybaritis saltare potius, quam pugnare libuerit.

Omnia sunt octo; at septem discrimina vocum.

Ad majorem DEI gloriam.


PROBLEMA

D. Demonstrante enodandum



Qui fieri posse, ut non Musicus Musico-
rum instrumentorum modum, formam,
& molem assequi, & præscribere possit,
quorum percussione toni, & consonan-
tiæ harmonicæ percipientur?






Aug VI 74 (1)




56

V017





Nov. 2000
Bd.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
3/Color

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ATHEMATICÆ
nica,

AGNI-
NE,
RI
Principis ac Domini
NI
I A N I ,

iâ
, Brigæ & Volaviæ
opugnandæ,

DEFRIDO FIBIG,
vienſi,
cos auditore.

, horis pomeridianis,
Collegii Vratislavensis
is JESU.

ETO, ejusdem Societatis,
ogiæ Doctore, ibidemque
io, ac Superiorum
ore.

VIÆ,
INIANIS,
RISTOPH. JACOB,

34